



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

Cap. I. Argumenta hæreticorum, quibus illi probare nituntur, Sanctos nondum esse beatos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)



LIBER PRIMVS
DE BEATITVDINE, ET
CANONIZATIONE
SANCTORVM.

CAPVT PRIMVM.

*Argumenta hæreticorum, quibus illi probare
nituntur, Sanctos nondum esse beatos, &c.*



ST IGITVR QVAESTIO PRIMA;
Sintne piorum hominum spiritus, qui &
corpore soluti sunt, & nulla purgatione
egent, iam ad fruendam beatitudinem,
quæ in clara Dei visione sita est, admissi?

Et quidem antiquorum, & recentium hæreticorum opinio
fuit, animas omnes, quantumuis sanctorum hominum, vs-
que ad vltimi iudicij diem seruari in quibusdam abditis re-
ceptaculis, vbi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi
in spe.

PRIMVS ex hæreticis, qui hoc asseruit, quantum ex au-
ctoribus ego colligere potui, TERTVLLIANVS fuit libr.
4. in Marcionem; sic enim ait: *Eam regionem, sinum dico
Abraha, & si non cælestem, sublimiorem tamen inferis, in-
terim refrigerium præbituram animabus iustorum, donec
consummatio rerum resurrectionem omnium plenitudine
mercedis expugnat: tunc apparitura cælesti promissione,
quam Marcion suo vendicat quasi non à creatore promulga-
ram.* Idem etiam habet lib. de anima duobus postremis ca-
pitibus.

Eum

Eum sequutus est VIGILANTIVS, de quo sic Hieronymus in lib. contra eundem: *Ais, inquit, vel in sinu Abrahae, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum & Martyrum consedisse, nec posse suis tumulis, & ubi voluerint, esse praesentes. senatoria videlicet dignitatis sumunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera, honestaq; custodia, in fortunatorum insulis, & in campis elyssiis recludantur.*

Eundem errorē tribuit Guido in summa de haereticis, Armenis. In eodem versabatur Graeci, ut patet ex Concilio Florentino, sess. 1. & ex B. Thoma in opusculo 6. cap. 9. Eundem errorem habet Lutherus in pralect. in Genesin, ut Fridericus Staphylus citat in Epitome trimembri Lutheranae Theologiae, parte secunda. Eundem habet Cornelius Agrippa in lib. 3. de occulta Philosophia.

Eundem habet etiam Ioannes Calvinus; nam libro 3. institut. cap. 20. §. 20. dicit, solum Christum ingressum esse Sanctuarium caeli, reliquos verò omnes residere in atrio, ibique expectare usque ad mundi consummationem. Et §. 24. dicit, animas Sanctorum adhuc eadem fide, & caritate nobiscum esse coniunctas. ubi autem fides est, ibi certè non est visio. Et cap. 25. §. 6. *Stultum, inquit, & temerarium est inquirere, quo in loco sint animae iustorum, & an gloria fruantur, nec ne. Interea cum Scriptura ubique iubeat pendere ab expectatione aduentus Christi, & gloriam, ac coronam eo differat: contenti simus his finibus diuinitus praescriptis, animas piorum militia labore perfunctas in beatam quietem concedere, & ubi cum felici latitia fruitionem promissa gloria expectant, &c.* **NOTA** miram stultitiam hominis, qui dicit, stultum & temerarium esse quaerere, vtrum animae iustorum gloria fruantur, nec ne: & ipse tamen audacter definit eas nondum frui gloria, sed eam expectare. Argumenta pro hac sententia Calvinus nulla proferret, sed multa sunt, & difficilia, quae partim Graeci proferre solent, partim etiam pro illis proferri solent.

PRIMUM argumentum sumitur ex decreto Ioannis XXII. qui fertur hoc declarasse, & mandasse Parisiensibus, ut non aliter docerent vel in scholis, vel in templis, & nullos promoverent ad gradus in Theologia, nisi prius illi iurarent, se hanc senten-

sententiam defensuros. Testes sunt huius rei Gulielmus Occam in opere nonaginta trium dierum; Ioannes Gerson in serm. de Pascha; Marsilius in 4. sent. quæst. 13. art. 3. & Adrianus in 4. vbi disputat de Sacramento Confirmationis.

SECUNDVM argumentum ex Scripturis sumitur; & quidem PRIMVS locus est Matth. cap. 20. vbi ad vesperâ paterfamilias omnibus operariis simul reddit mercedem: constat autem per vesperam intelligi resurrectionem, & per denariû vitam æternam. SECUNDVS Hebr. 11. *Hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, & non sine nobis consummarentur.* TERTIVS I. Ioan. 3. *Scimus quia cum apparuerit (Christus in secundo aduentu) similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* QUARTVS Apocal. 6. *Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum Dei. Quid significat illa abscondio sub altari, nisi reconditum aliquod receptaculum, vbi quietæ quidem, sed in tenebris versentur animæ?*

TERTIVM argumentum sumitur ex testimoniis Patrum Græcorû. IUSTINVS quæst. 60. ex iis, quas Gentes Christianis ponunt, dicit narrationem de diuite, & Lazaro non esse veram historiam, & causam reddens: *Neq; enim, inquit, ante resurrectione unicuiq; ex iis, qua in vita gessit, primum redditur.* Et quæst. 76. *Si ante resurrectionem nulla sunt operum premia, quis fructus fuit latroni, cum in paradysum eius animus introductus est? Respondet, id consequutum latronem, & sit in cætu iustorum, & videat seipsum, & qua infra se sunt, & præterea Angelos & Damones.*

IRENAEVS lib. 5. extremo: *Cum enim Dominus, inquit, in medio Umbra mortis abierit, & ibi anima mortuorum erant: post deinde corporaliter resurrexerit, & post resurrectione assumptus sit; manifestum est, quia & discipulorum eius, propter quos & hac operatus est Dominus, anima abibunt in invisibilem locum definitum eis à Deo, & ibi & sq; ad resurrectionem commorabuntur sustinentes resurrectionem, post recipientes corpora, & perfecte resurgentes, hoc est, corporaliter, & sic venient ad conspectum Dei.*

ORIGENES homilia 7. in Leuit. *Nondum, inquit, Sancti receperunt lætitiâ suam, nec Apostoli quidem; sed & ipsi expectant,*

spectant, et ego latitiae eorum particeps sum. Et lib. 2. perichon prope finem dicit, Sanctos post mortem deferri in paradysum terrestrem, & inde eos, qui puriores sunt, ad aëres loca conscendere.

CHRYSOSTOMVS homilia 39. in priorem ad Corinth. in illud; Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo, miserabiles sumus omnibus hominibus: Quid ais Paulus? an non animus superstes erit? erit, & immortalis quidem: quanquam verò vel sexcenties sit immortalis, tamen sine carne ipsa admirandis illis bonis non fruetur, quemadmodum neque penis punietur. omnia enim coram tribunalis Christi manifestabuntur, inquit Paulus, et unusquisque ferat, quae per corpus siue bona, siue mala gessit; nam si corpus non resurgat, anima nostra incoronata manebit, & extra caelestem beatitudinem erit. Idem homilia 28. in epist. ad Hebraeos: Ne aliquid pra nobis habere viderentur, si primi ante nos coronarentur, & unum desinuit tempus omnium coronarum; & qui ante tam multos annos vixit, tecum accipiet coronam.

THEODORETVS in cap. II. ad Hebr. Sanctorum ergo, inquit, tot, & tanta fuerunt certamina, sed hi tamen nondum coronas acceperunt, &c. THEOPHYLACTVS in eundem locum: Sancti nihil adhuc caelestium promissionum sunt assequuti. Et in cap. 16. Lucæ docet, narrationem de Lazaro esse parabolam, non historiam, quia nondum sunt distributa bona & mala iustis & iniustis. OECUMENIVS in eundem locum: Omnes, inquit, Sancti testimonium promeriti, quod per fidem placuerunt Deo, nondum consequuti sunt bona iustis promissa.

ARETHAS Caesariensis Episcopus in ca. 6. Apocalypsis Horum, inquit, spe, quae per intellectum veluti in speculo contemplantur, omni crassitie liberati merito latantur quiescentes in sinibus Abraha; nam id multis Sanctis dictum est, & unumquemque virtutis cultorem sortitum esse dignum locum, unde etiam de futura sua gloria certam quandam assequatur coniecturam.

EUTHYMIUS in cap. 16. Lucæ dicit, narrationem illam de Lazaro, & diuite esse parabolam, quae designatur quid erit post diem iudicij. & in cap. 23. Et tunc quidem dedit ei conuersa.

uersionem in paradiso, tanquam arrabonem regni sui, quod est fructio ineffabilium, ac aeternorum bonorum, qua nec oculus uidit, &c.

Confirmatur hoc argumentū, quia Græci Patres simpliciter negāt Deum uideri posse à creatura; ergo multò magis negare debent uideri ante diem iudicij. uide Chrysostomum homil. 23. in Genes. ubi dicit, ne Angelis quidem Deum esse uisibilem. Item homil. 14. in Ioannem, ubi dicit, Angelos nunquam uidisse Filium Dei, nisi post incarnationem. Similia habent Theodoretus in Dialogo Immutabilis, Theophylactus in illud Ioannis 1. *Deum nemo uidit & nunquam.* & Euthymius in eundem locum: quibus accedit ex Latinis Hieronymus, teste Augustino, epist. III. ad Fortunatianum.

QUARTVM argumentum est ex testimoniis Patrum Latinorum. LACTANTIUS lib. 7. cap. 21. *Nec quisquam putet, animas post mortem protinus iudicari, nam omnes in una communisq; custodia detinentur, donec tempus adueniat, quo maximus iudex meritorum faciat examen.*

VICTORINVS Martyr in cap. 6. Apocalypsis: *Animas autem occisorum dicit se uidisse sub ara, id est, sub terra. Et infra: In nouissimo tempore Sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum Ventura est damnatio.*

HILARIUS in Psal. 138. in illud; Si descendero in infernum, ades: *Hac, inquit, humana lex necessitatis est, ut sepultis corporibus anima ad inferos descendant. Et ne putemus eum loqui de animabus impiorū, subdit: Quam legem Dominus ad consummationem ueri hominis non recusauit, &c.* Vult ergo dicere, ad eò esse necessarium, ut animæ sint in inferno, dum caro est in sepulcro, ut etiam Dominus hanc legem subire uoluerit.

PRUDENTIUS in Hymno de exequiis defunctorum, docet, animas sanctas discedere ex hac uita in paradysum terrestrem, siue in sinum Abrahæ, quem diues ille ardens longè conspexit.

*Quanam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita sancti
Recubabis, ut est Eleazar,
Quem floribus undique septum*

Diues

Diues procul aspicit ardens.
 Patet ecce fidelibus ampli
 Via lucida iam paradisi,
 Licet & nemus illud adire
 Homini, quod ademerat anguis.

AMBROSIVS lib. 2. de Cain, cap. 2. *Solvitur à corpore anima, & post finem vite huius adhuc futuri iudicij ambiguitate suspēditur.* Et libro de bono mortis, cap. 10. *Satis, inquit, fuerat illis dixisse animas à se petere, id est, locum, qui non videtur, quem Latine infernum dicimus.* Et ibidem: *Scriptura Esdra habitacula animarum promptuaria nuncupat.* Et occurrens querelæ humanæ, eo quod iusti, qui præcesserunt, videntur vsq; ad diem iudicij per plurimum scilicet temporis debita sibi remuneratione fraudari; mirabiliter, ait, coronæ esse similem diem iudicij; coronæ enim dies expectatur ab omnibus, vt intra eum diem & victi erubescant, & victores palmam adipiscantur victoriæ: ergo dum expectatur plenitudo temporis, expectant animæ remunerationem debitam: alias manet pœna, alias gloria.

AVGVSTINVS lib. 1. retract. cap. 14. *De sanctis hominibus, inquit, iam defunctis, vtrum ipsi saltem dicendi sint iam in illa possessione consistere, merito quaritur.* Et epist. III. ad Fortunatianum, exponens quædam verba D. Hieronymi: *In his verbis, inquit, hominis Dei multa consideranda sunt; primum, quia secundum apertissimam Domini sententiã etiam ipse sentit, tunc visuros faciem Dei, cum in Angelos profecerimus, id est, aequales Angelis facti fuerimus, quod erit vtiq; in resurrectione mortuorum.* Item in Enchiridio, cap. 108. *Tempus, inquit, quod inter hominis mortem, & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet.* Libro 12. de Genes. cap. 35. *quærit, quid opus sit animabus resumptione corporis, si possunt sine carne videre Deum? Respondet autem: Minime dubitandum est, & raptam hominis carnis sensibus mentem, & post mortem ipsam carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, vt sancti Angeli vident.* Et lib. 12. ciuit. Dei, cap. 9. *Pars, inquit, ciuitatis Dei, qua coniungenda immortalibus Angelis ex mortalibus hominibus congregatur, nunc mortaliter peregrinatur in terris, vel in eis, qui mortem obierunt,*

obierunt, secretis animarum receptaculis, sedibusque requiescit. In Psalm. 36. Post vitam, inquit, istam nondum eris, & bierunt Sancti, quibus dicitur; Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. nondum ibi eris, quis nescit? sed iam poteris ibi esse, & ibi illum quoddam Ulcerosum pauperem diues ille superbus in mediis tormentis vidit longè requiescentem. in illa requie certè securus expectabis iudicij diem.

BERNARDVS serm. 3. de omnibus Sanctis: Aduertistis, inquit, ni fallor, tres esse sanctarum status animarum; primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atrijs, tertium in domo Dei. Et infra: In illam beatissimam Dei domum anima nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est, nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Et serm. 4. exponens illud: Vidi sub altare animas interfectorum, intelligit per altare, Christi humanitatem, ac dicit interim animas Martyrum esse sub altari, quia solùm vident Christi humanitatem, post diem iudicij exaltandas esse super altare ad videndum Dei essentiam. Interim, inquit, sub Christi humanitate feliciter Sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam sancti Angeli prospicere, donec veniat tempus, quando iam non sub altare collocètur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? Nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel Angelorum assequi quis poterit, nedum superare? Quoniam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altari quiescunt? Visione & trique, & contemplatione, non pralatione. Ostendet enim tunc nobis Filius, vt pollicitus est, semetipsum, non in forma serui, sed in forma Dei: ostendet etiam nobis Patrem, & Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis.

QVINTVM argumentum sumitur ratione; nam iudicium, & examen bonorum, & malorum, futurum est in nouissimo die, ergo præmia & pœnæ vsq; ad eum diem differentur. præterea Christi anima post separationem à corpore non statim ascendit in cœlum, sed prius descendit ad inferos, & post resurrectionem carnis tandem in cœlum ascēdit; igitur & Sancti omnes post mortem in inferno erunt vsq; ad resurrectionem;

CCCccc

nem;

nem; nam Christi requies, resurrectio, & ascensio, exemplar fuit nostræ quietis, resurrectionis, & ascensionis; alioqui essent discipuli, & serui supra magistrum, & Dominum. Ad hæc, anima, & caro simul operantur, tam bona, quam mala, igitur simul & non vna sine alia puniri, aut remunerari debet. Denique Dæmones nondum puniuntur, sed puniendi reseruantur post diem iudicij; nam idcirco dicebant Christo: *Veni huc ante tempus torquere nos*, Matth. 8. *Et deprecabantur eum, ne imperaret illis, & in abyssum irent*, Luc. 8. igitur idcirco de hominibus fiet: si autem impij non puniuntur, certè non impij remunerantur. Hæc igitur sunt argumenta, quæ aduerfus veritatem afferri solent. quæ quidem in sequentibus capitulis per partes diluentur.

CAPVT II.

Animas Sanctorum iam nunc frui Dei visione, demonstratur testimonio Ecclesiæ.

SED facile erit totidem argumentorum generibus veritatem propugnare. PRIMVM igitur accedit Ecclesiæ testimonium, quæ in oratione de S. Gregorio dicit: *Deus, qui anima famuli tui Gregorii æterna beatitudinis premia contulisti, &c.* Præter quam orationem habemus etiam duo Concilia Oecumenica, & duorum summorum Pontificum decreta. siquidem hoc ipsum definitum est in Concilio Florentino, sess. vlt. in decreto unionis Latinorum cum Græcis. & in Concilio Tridentino, sess. 25. Idem quoque disertis verbis docet Innocentius III. cap. Apostolicam, extra de Presbytero non baptizato. Idem denique post longas disputationes Benedictus XII. definiuit in extravaganti, quæ incipit, Benedictus Deus; quam totam refert Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæreses, verbo, Beatitudo.

Atq; hinc soluitur primum argumentum aduersariorum; nam iste Benedictus XII. qui successor fuit immediatus Ioannis XXII. apertè testatur, Ioannem morte præuentum, non definiuisse istam quæstionem. Neq; verò solùm eam non definiuit, sed etiam paulò ante mortem partim retractauit sententiam suam, partim etiam declarauit; nam asseruit, PRIMO, se in